



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Sacramentis In Genere Ac De Sacramentalibus Nec Non De Sacramentis Baptismi, Confirmationis, atque Extremæ Unctionis Decisiones

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Privilegium Cæsareum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94638)

Privilegium Cæsareum.

CAROLUS Sextus Divinâ Favente Clementiâ Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hispaniarum, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatia, Sclavoniæ &c. Rex; Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Würtembergæ; Comes Tyrolis &c. &c. Agnoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, quod cum Nobis, Nostri, Sacrique Romani Imperii Fideles dilecti Martinus Happach & Franciscus Xaverius Schlüter Bibliopolæ Augustæ Vindelicorum humillimè exponi curarint, quem in modum Joannis Clericati Patavini Decisiones Sacramentales Theologicas in folio prælo committere resolverint, vereantur autem, nè æmulorum invidiâ editionem imitantium Impendii, & Laboris sui fructu frustrentur: Ideoque Nobis demissè supplicarint, quatenus eorum indemnitati Privilegiò nostrò Cæsareò succurrere clementissimè dignemur; Nos submissæ pariter, ac æquæ eorum petitioni annuendum censuerimus. Ac proinde Authoritate Nostra Cæsarea omnibus & singulis Bibliopolis, Bibliopægis, Typographis, & aliis quibuscunque rem librariam exercentibus firmiter inhibemus, vetamus, & interdiciamus, nè quis supra nominatas Clericati Patavini Decisiones Sacramentales Theologicas sub hoc aliove Titulo aut forma per decem Annorum Spatium intra Sacri Romani Imperii & Regnorum Ditionumque Nostrarum hæreditariarum fines recudere, vel aliis recudendas dare, aliorumve impressas apportare citra præfatorum Impetrantium, eorundemque hæredum ac successorum Voluntatem & assensum in scriptis obtentum ausit vel præsumat. Siquis verò secus faciendo Privilegium hoc Nostrum seu interdictum violare, contemnereque præsumpserit, eum non solum ejusmodi Exemplaribus ubicunque locorum repertis, perperam quippe recusis seu apportatis (quæ dicti Martinus Happach, & Franciscus Xaverius Schlüter sive propriâ Authoritate, sive Magistratûs illius loci auxiliò sibi vindicare poterunt) defacto privandum, sed & decem marcarum auri puri poenâ Ærario seu Fisco Nostrò Cæsareo, & Parti læsæ ex æquo pendendâ, omni spe veniæ sublatâ multandum decernimus, dummodo tenor hujus Nostri Privilegii in fronte libri impressus reperiat, & consueta quinque Exemplaria Consilio Nostro Imperiali Aulico exhibeantur. Mandamus itaque omnibus & Singulis Nostris & S. R. I. Regnorumque & Dominiorum Nostrorum Hæreditariorum subditis & fidelibus dilectis tam Ecclesiasticis, quam Sæcularibus, cujuscunque Statûs, Gradus, dignitatis aut ordinis exstiterint, præsertim vero iis, qui in Magistratu existentes vel suò, vel Superiorum suorum locò Jus, Justitiâque administrant; nè quemquam Privilegium hoc Nostrum Cæsareum violare, spernere, aut transgredi patiantur: sed si quos contumaces compererint, constitutâ à Nobis multâ eos puniri, & quibuscunque modis idoneis coerceri curent, quatenus & ipsi gravissimam Nostram indignationem, prædictamque pœnam evitare voluerint. Harum Testimonio literarum manu nostra subscriptarum & Sigilli Nostri Cæsarei appensione munitarum, quæ dabantur in civitate nostra Vienna die decima Novembris Annò Millesimò septingentesimò vigesimò octavò, Regnorum Nostrorum Romani decimò octavò, Hispanicorum vigesimo sexto, Hungarici & Bohemici verò pariter decimò octavò.

Carolus mpp.

(L.S.)

Ut Frid. Car. Ep. & Pr. Bamb. mpp.

Ad Mandatum Sacæ Cæsæ
Majestatis proprium

J. V. Hayeck de Waldstätten mpp.

APPRO.